



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Dubium II. Quid requiratur, ut Sacramentum licitè & cum fructu  
suscipiatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42545**

gravissima onera affert: , Et hoc reſeimus ex communi doctrina Eccleſiæ & Doctorem.

184. Q. 34. An fides vel probitas ſuſcipientis requiratur ad valorem Sacramenti. R. negativè ( excepto Sacramento Pœnitentiæ ) nam ita definiaverunt Concilia & Pontifices , de quibus *Suar. d. 14. ſ. 2.* contra varios hæreticos, habetque praxis Eccleſiæ, quæ non reiterat Sacramenta, v.g. Baptiſmum, Ordines &c. quamvis aliquis ea ſuſceperit in peccato mortali etiam contra fidem. *Nec obſtat*, quòd ille, qui in Paſchate ſuſcepit Euchariſtiam in mortali ſcienter, non ſatiſfecerit præcepto, ſed teneatur iterum communicare, *nam hoc eſt tantùm ob præceptum Eccleſiæ, quæ vult Communionem eſſe dignam & fructuoſam. Dixi, excepto Sacramento Pœnitentiæ, nam ad dolorem ſupernaturalem prærequiritur fides, ſecundùm dicta lib. 2. à n. 14. ; & deteſtatio peccatorum ac proſiſtitum non peccandi de cætero etiam prærequiritur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, uti ſuo loco dicitur.*

## DUBIUM II.

*Quid requiratur, ut Sacramentum licitè & cum fructu ſuſcipiatur.*

185. **R** Esp. Ad effectum Baptiſmi, & Pœnitentiæ, requiritur & ſufficit, præter voluntatem ſumendi Sacramentum, diſpoſitio fidei, ſpei, & attritionis: non autem requiritur charitas, ſive ut gratiam habeat, quia hæc Sacramenta dicuntur mortuorum, quòd ipſa primam gratiam, ſeu vitam donent. Ad reliqua verò Sacramenta, que

quæ dicuntur vivorum, requiritur, ut sit in gratia, quia illa non primam, sed secundam tantum gratiam, id est, augmentum tantum gratiæ conferunt. Etsi subinde per accidens dent primam, cum quis putat bonâ fide se carere mortali Lay. l. 5. tr. 1. 6. 6. Bon. to. 1. de Sacra. d. 1. q. 6. p. 2. Unde resol.

I. Etsi æqualiter dispositi, æqualem; magis tamen dispositi, majorem Sacramenti fructum, præter characterem, consequuntur, tum quia congruum est, Sacramenta ita instituta esse, ut uberior gratia detur pro dispositione subjecti: tum quia non videtur is, qui vehementem attritionem ad Baptismum vel Pœnitentiam affert, omni fructu carere.

II. Qui sumit hostiam, quam nescit esse consecratam, cum instar alterius animalis, sine intentione sumendi Sacramentum, sumat, accipit quidem materialiter rem, quæ est Sacramentum, non tamen sacramentaliter & cum fructu. Idem docet Bon. de so, qui sumit Sacramentum ex causa famis, quod videtur intelligendum, si ex ea sola: neque enim videretur Sacerdos fructu Sacramenti privari, etsi sumpturus calicem, simul etiam levare sitim intendere. V. Bon. l. c. n. 3.

## A D D E N D A.

Questio 35. Quid præterea notandum sit circa dispositiones prærequisitas ad hoc, ut adultus licite & cum fructu suscipiat Sacramentum. R. seqq.

§. 1. Castrop. t. 4. d. 1. p. 11. n. 2. Con. De fide d. 14. n. 217. alique dicunt suscipientem Sacramentum, & præsertim Eucharistiam, debere saltem

saltem ex præcepto el cere actum fidei: quæ sententia, quoad Sacramenta mortuorum, vera est, è contrà respectivè ad Sacramenta vivorum; & speciatim ad Eucharistiam, *Suar. d. 63. f. 3. post concl. 1.* rectè negat necessariam esse fidem actualem hujus Mysterii; hinc sufficit, inquit *Lugo de fide d. 13. n. 51.*, si interveniat aliquis actus fidei implicitus & in confuso, per quem suscipiens ex memoria notitiæ per fidem comparatæ habeat intentionem suscipiendi Sacramentum veluti aliquid habens supernaturalem operationem. Et rectè addit, non esse opus anxari de eliciendo propterea hoc actu fidei, quia si habuerit de Sacramentis fidem explicitam, prout habere debuit, volitio suscipiendi tale Sacramentum procedet à fide saltem confusâ, quæ recurreret intellectui: ideoque etiam *Amicus d. 4. n. 97.* dicit fidem & spem ad Sacramenta vivorum prærequiritam includi in voluntate recipiendi tale Sacramentum: Utillimum tamen est in praxi explicitè actus illos præmittere.

187. §. 2. Ante Baptismum requiritur actus fidei & spei supernaturalis, saltem virtualis, uti omnes docent cum *Suarez De grat. l. 8. cap. 19.* Et quando adest mortale personale, prærequiritur contritio vel attritio supernaturalis, uti docet *Trid. ss. 14. de pœn. cap. 1.* his verbis, *fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato coinquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petissent: probatque ex variis locis scripturæ & speciatim ex illo Act. 2. v. 38. Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Idem docetur Cap. Omnis 96. & Cap.*

Cap. Agunt. 97. De consecr. dist. 4. Ex hoc autem, quod *Trid.* praequirat actum fidei, spei & poenitentiae, sicut oportet, & ex motione atque adjuutorio Spiritus S., rectè infert *Amic. n. 76.* hos actus debere esse etiam quoad substantiam supernaturales. Putant quidem aliqui cum *Escob. l. 8. n. 180.* posse per accidens ad Baptismum sufficere dolorem virtualem, idest, implicitum, contentum in spe salutis suae aeternae, si nempe aliquis immemor peccatorum, vel non cogitans de praemittendo actuali dolore cum tali actu susciperet Baptismum, sed *Suar. Vasq.* alique cum *Castrop p. 13. n. 7.* communiùs contradicunt.

§. 3. Ante Sacramentum Poenitentiae requiruntur actus saltem virtuales fidei & spei supernaturalis, uti explicatum est l. 2. à n. 14. 188.

§. 14. Ante Sacramenta vivorum requiritur, per se loquendo, status gratiae, cum enim unusquisque de facto sit vel in gratia vel in peccato mortali, & Sacramenta vivorum, per se loquendo, non causent primam gratiam, si inveniant peccatum mortale, non poterunt causare suum effectum. 189.

§. 5. Propter specialia praecepta praemitti debet Eucharistiae jejunium naturale à media nocte & Confessio seu absolutio directa ab omni mortali, uti dicitur n. 511. & à n. 533. Pro reliquis Sacramentis vivorum, si quis in mortali fuerit, sufficit status gratiae per contritionem, quamvis enim *Marsil. & Adrian.* putarent Confessionem praerequiri, tamen *Vasq. d. 136. c. 1. n. 3. Dicast. d. 3. n. 200.* docent oppositum esse certum, adeoque sufficere contritionem tradunt 190.

dunt

dunt Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 10. Lugo d. 8. f. 9. Arr. d. 10. n. 16. aliique communissime cum Busenb. relato n. 86. Si dicas, contritionem esse nimis difficilem. Contra est, quia homini ejus motiva scienti non est adeo difficilis: improbabiliter autem postulant aliqui Rigoristæ certam intensiorem vel durationem, uti ostendam de Pœnitentia. Quod si quis ultra attritionem assurgere non possit, per accidens apud eum prærequireretur Confessio.

191. §. 6. Si aliqua Sacramenta vivorum per accidens causare possint primam gratiam, præquirent in suscipiente aliquem actum supernaturalem, saltem post susceptum Sacramentum, uti dicitur à n. 197.

192. §. 7. Suscipiens Sacramentum debet esse liber ab omni excommunicatione, & ab interdicto personali: & respectu Ordinum aut primæ Tonsuræ, etiam ab omni irregularitate, unde qui etiam per contritionem constitutus in gratia susciperet ejusmodi Sacramentum non remotâ prius censurâ vel irregularitate, committeret grave sacrilegium, quia ageret contra prohibitionem Ecclesiæ positam ex fine reverentiæ erga res divinas & Sacramenta, possit tamen excusare ignorantia aut gravis metus, uti dicitur in materiâ de censuris. Plura, quæ specialiter præquiruntur ad hoc vel illud Sacramentum, & præsertim ad Ordines, designabuntur, quando de illis Sacramentis: Ex dictis,

193. Colliges cum Lugo de Eucharist. d. 14. f. 3. Aversa hinc q. 64. f. 9. Dicast. d. 8. dub. 4. Tambur. de Comm. cap. 1. n. 12. ad principalem fructum Sacramenti, etiam Eucharistiæ, percipiendum

NON

non necessariò requiri actualem devotionem, uti putarunt aliqui, apud *Suar.* d. 63. l. 3. & apud *Amic.* d. 4. n. 90., sed satis esse accedere cum aliis dispositionibus. Ad alios tamen abundantiores effectus, maximè autem ad gratias actuales cum accipiendas, multùm confert actualis devotio, uti omnes fateatur cum *Aversa* de *Euch.* q. 7. l. 5., ideoque *Suar.* & *Amic.* ad has gratias requirunt negationem distractionis; imò *Rhod.* putat semper esse saltem veniale, recipere aliquod Sacramentum sinè aliquo pio motu voluntatis, & consentiunt *Gob.* t. 1. n. 259. & *Sporer* hic n. 157.

Q. 36. Quid dicendum sit de casu, quo quis Sacramentum suscipit cum obice, vel cum peccato mortali. R. seqq. 194.

§. 1. Qui Sacramentum suscipit cum obice, sive cum impedimento, quominus in susceptione Sacramenti causetur gratia, peccat, pe. se loquendo, mortaliter, quia Christus instituit Sacramentum, primariò ideo, ut absolutè practicè significaret gratiam, quando susciperetur, qui autem suscipit cum obice, facit, ut non possit absolutè practicè significare gratiam, atque ità quasi illudit Christo, & abutitur institutione divinà in re maximi momenti. Perinde autem est sive hic obex sit positivus, uti est peccatum mortale in Sacramentis vivorum, sive negativus, uti esset negatio fidei in baptizando. *Conf.*, quia sicuti ille est graviter irreverens, inquit *Lugo* d. 9. n. 3., qui adducit Deum in testem rei falsæ, quamvis enim non faciat, ut Deus re ipsa testetur falsum, tamen facit, ut hoc appareat, ità qui suscipit Sacramentum cum obice, quia, quam-

quam-

quamvis non faciat, ut Deus re ipsa significet falsum, tamen facit, quantum est de se, ut quodammodo videatur significare falsum, sive potius, ut non significet hoc, quod dixit se significaturum, si poneretur Sacramentum, & ideo etiam talis susceptio cum obice à Theologis vocatur fictio, estque secundum se gravius peccatum, quam indigna consecratio aut ministratio, uti cum aliis multis notat *Diebst.* d. 3. num. 340. Dixi, per se loquendo, nam licet *Suar.* loquens de Eucharist. D. 66. f. 1. innuat nullo casu licitum esse suscipere cum obice, ed quod sit preceptum naturale tam suscipiendi in gratia, tamen contradicunt communiter alii, cum *Aversa* de Euch. q. 8. f. 5. *Herinx* d. 3. n. 96. & *Bosco* d. 1. f. 8. n. 54. saltem pro raro casu, v. g. si hostia alioqui esset profananda ab hæreticis, nisi statim sumeretur, sicuti enim tunc posset recondi in foramen parietis, ita, inquiunt *Diana* p. 11. t. 6 R. 2. & *Tamb.* de Comm. cap. 1. n. 75., poterit sumi, ex intentione abscondendi in se. De casu, quo Sacerdos in Missa recordaretur mortalis, nec posset elicere contritionem, nisi cum certo dispendio sui honoris, dicitur, quando de Sacrificio.

*Obj.* Nullo casu licitum est jurare falsum, ergo nec suscipere Sacramentum cum obice, quia tam intrinsecè malum est facere, ut Deus videatur significare falsum, quam facere, ut videatur testari falsum.

R. n. conseq. & ejus probationem. Jurans falsum mentitur, & quantum est de se, vult Deum esse testem, sive loqui pro veritate sui mendacii, adeoq; vult, vel Deum nescire esse falsum, vel



vel saltem testari, hoc esse verum, quod tam ipse quam Deus scit esse falsum, utrumque autem non potest non directe opponi infinite sapientie aut veracitati Dei. Econtrà, qui Sacramentum suscipit eum obice, nihil simile facit, nam non mentitur, nec vult Deum esse testem alicujus falsi, sed tantum facit, ut signum, quod est institutum ad significandam practicè gratiã, hic & nunc eam practicè non significet, per quod tamen signum Deus non loquitur, unde re ipsa non vult, ut Deus hic & nunc censeatur per illud loqui, sed tantum facit, ut signum illud non sit efficax, quod Deus volebat esse efficax, ergo hic non est ejusmodi directa oppositio ad aliquam perfectionem divinam, qualis est in perjurio. *Conf.* nam significare hic, est causare, suscipiens autem indignè, tantum facit, ut Deus videatur causare gratiam, quam tamen non causat, per quod directe non peccat contra ullam perfectionem divinam, non contra veracitatem, quia non facit, ut Deus videatur dicere se causare, sed tantum facit, ut videatur causare, quod non est contra veracitatem: sed neque peccat contra omnipotentiam, cui non fit injuria, si videatur hoc causare, quod causare potest, & quod meritò causare deberet, imò potius fit honor omnipotentie, ergo simpliciter non peccatur directe contra ullam perfectionem divinam, & consequenter non ostenditur ratio, cur talis sumptio pro omni casu sit intrinsecè mala.

§. 2. Si quis Baptismum vel Pœnitentiam suscipiat in mortali, non peccat, nec impeditur gratia, dummodo habeat attritionem & ceteras dispositiones prærequisitas, quia hæc duo Sa-

cramenta dicuntur Sacramenta mortuorum, eò quòd suscipi possint ab eo, qui non est in statu gratiæ, ideoque conferunt primam gratiam. Si autem unum ex reliquis Sacramentis suscipiatur in mortali, impeditur infusio gratiæ, ideoque peccatur mortaliter, etiam in Matrimonio per procuratorem inuito, uti probat *Mendo d. 12. q. 1.*, hoc enim Sacramentum; uti & reliqua, sunt Sacramenta vivorum; & quæ necessariò sumuntur in statu gratiæ, quia per se loquendo, solam secundam gratiam causant, hinc docet *Sanch. de Matr. l. 2. d. 11. n. 30.*, volentem contrahere Matrimonium per procuratorem, teneri toto eo tempore esse in statu gratiæ, quo probabile est futurum, ut procurator contrahat.

196. §. 3. Sicuti n. 80. 97. 102. dixi conficientem Sacramentum non peccare mortaliter, dummodo sit in gratia antè plenè confectum Sacramentum, ità hic videtur dicendum non peccare mortaliter susipientem, dummodo sit in gratia ante plenè susceptum Sacramentum, unde ore sumens hostiam in peccato mortali non peccat mortaliter, dummodo voluerit conteri, & re ipsa conteratur, antequam deglutiat, si priùs non potuerit confiteri, uti pluribus explicabitur n. 415.

197. §. 4. Sacramenta omnia, validè suscepta cum obice, postea reviviscunt & causant gratiam remoto obice, ita *S. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 1.*, ubi cum dixisset Confessionem reviviscere sublata fictione, addit idem esse in aliis Sacramentis. Sequuntur *Caj. Arr. Castrop. t. 18. p. 9* aliique multi cum *Escob. l. 8. n. 182.* contra varios, quorum aliqui cum *Med. apud Dicast. de Bapt. d. 1.*

d. 2. dub. 15. negant ullum Sacramentum reviviscere ad gratiam: *Sotus, Bernal, Hurt, Bosc.* d. 1. f. 6. n. 63. dicunt reviviscere solum Baptismum. *Dur. Palud. Amie.* d. 4. n. 158. solum Baptismum & Pœnitentiam: *Silvest. Covar.* solum Baptismum, Confirmationem & Ordinem: *Suar. Fill. Lugo, Jlls.* t. 6. d. 1. n. 54. dicunt omnia reviviscere præter Eucharistiam: sed assertio nostra explicatur & probatur, nam

1. Quod saltem Baptismus reviviscat, est 198. communissima cum *S. Aug.* de Bapt. l. 1. cap. 12. aliisque locis apud *Aversam* q. 69. f. 2. & *Dicast.* suprâ. Idem habet *S. Th.* q. 69. a. 10., & sequuntur alii SS. PP. apud *Dicast.* n. 165. & *Gorm.* de Bapt. d. 1. n. 25. Ratio autem à priori est voluntas Christi: quæ nobis innotescit, partim ex SS. PP., partim ex *Trid.* ss. 6. cap. 4., ubi docet nos justificari per Baptismum in re vel in voto, quod verum non esset, si ille, qui cum obice suscepit Sacramentum, postea per illum non justificaretur, nam non potest in re suscipere alium Baptismum, neque potest habere votum Baptismi alterius, cum hic sit ei illicitus, ergo justificatur per Baptismum antea in re susceptum.

2. Cùm Confirmatio & Ordo non sint iterabilia, congruum fuit, ut quando suscepta essent cum obice, si removeretur obex, ex vi Sacramentorum illorum darentur gratiæ, maxime actuales, utiles ad finem vel functiones ejus modi Sacramentorum rectè obseandas, ergo congruentius dicitur, quod etiam tum causetur gratia habitualis, nam ejusmodi auxilia dantur ad exigentiam gratiæ habitualis. Videri potest *Aversa* q. 72. f. 4. §. Quintò.

L 2

3. Eu-

200. 3. Eucharistia, saltem si removeatur obex, antequam consumptæ sint species, causabit gratiam, uti docent *S. Th. q. 79. a. 3. Scot. Dur. Castrop. supra, Escob. l. 20. n. 491.* alique multi, quot citat & sequitur *Aversa de Euch. q. 7. f. 1.*, quia cum hoc subiectum jam sit dispositum ad gratiam, & cum Sacramento permanente adsit Author omnis gratiæ, non videtur negandum, quod gratiam causet. Econtrà si Christus jam defuerit esse præsens, communior sententia est cum *Suarez d. 63. f. 3. Aversa & aliis contra Bonac. & Arriagam d. 14. n. 19.*, quod non reviviscat ad gratiam, quia alioquin Sacerdos, qui quotidie sæpissime communicasset sacr. legè, si in fine vite pœniteret, acciperet ex opere operato vi Communionum sacrilegarum plùs gratiæ, quàm qui quotidie dignè communicasset, quod videtur incredibile.

201. 4. Si possit dari Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, v. g. quia dolor, qui bonâ fide præmittitur, non extendit se ad omnia mortalia, quæ confitens commisit, sublato obice reviviscet ad gratiam, quia congruum est, ut sententia judicialis validè lata, quando postea potest, detur executioni *Conf.* nam omne mortale personale secundùm modernam Dei providentiam remitti debet per Sacramentum Pœnitentiæ vel in re vel in voto, uti docet *Trid. ss. 14. c. 4.*, sed si deretur Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, quod sublato obice non revivisceret ad gratiam, posset aliquod mortale remitti absque Sacramento vel in re vel in voto, quia peccatum, ad quod non extendisset se dolor, postea posset remitti per solam contritionem,

nem,

nem, in qua non includeretur votum Pœnitentiæ, nam nemo, per se loquendo, obligatur ad bis validè confitendum idem peccatum, uti habet S. Th. suprâ, ergo.

5. Cùm extrema unctio non sit iterabilis in eodem morbo, uti nec Matrimonium cum eodem homine supervivente, & tamen illi qui hæc Sacramenta suscipiunt cum obice, maxime indigeant gratiis actualibus ad superandas molestias morbi & ad ferendas difficultates conjugii, hinc congruum fuit hæc Sacramenta reviviscere ad gratias causandas, dummodo obex removeatur intra tempus ejusdem morbi vel conjugii, uti docent Suar. Con. Lugo, Castrop. & alii.

6. Congruentiæ aliæ, cur Sacramenta meritò dicantur reviviscere ad gratiam, etiam sunt sequentes: Im primis, quia omnia Sacramenta validè suscepta continent infinita Christi merita, quæ acceptata sunt à Deo ad fines à Christo intentos, ergo cùm remoto obice apta sint in actu secundo movere Deum ad dandam ex illis meritis gratiam, re ipsa sic movebunt. Deinde, Sacramentum, hoc ipso, quòd sit validè positum, est & manet opus Christi, tanquam principaliter operantis, quod autem gratiam non causet, est tantùm ex defectu dispositionis in suscipiente, ergo hæc positâ reviviscet, sicuti alia bona opera, mortificata per peccatum, sublato peccato reviviscunt ad præmium. Denique, Sacramentorum institutio interpretanda est fuisse talis, qualis maxime decebat divinam bonitatem & beneficentiam Christi erga nos, quæque magis invitaret homines ad resurgendum à peccatis, hæc autem omnia magis habentur, si dicamus

omnia Sacramenta sublato obice reviviscere etiam ad gratiam, ergo.

204. 7. Sacramenta sublato obice reviviscunt etiam quoad remissionem venialium, quæ remissa fuissent, si abfuisset obex, *Suar. Lugo, Dicast. n. 173. contra Vasq. cui favet Arr. d. 15. n. 23.* Ratio est, quia sicuti reviviscunt sublato obice remissionis mortalium, ita reviviscunt sublato obice remissionis venialium, idem enim est de utrisque.
205. 8. Quod dictum est de reviviscentia Sacramentorum ad remissionem mortalium & venialium, valet etiam ad remissionem poenarum, talibus peccatis debitarum, nam etiam de his eadem est ratio; & idem consequenter dicendum est de reviviscentia, quoad jus proximum ad gratias actuales postea dandas secundum exigentiam gratiæ habitualis per Sacramentum reviviscens causatæ.
206. Dixi, Sacramenta omnia validè suscepta, quia si sint invalidè suscepta, nunquam extiterunt; ergo non possunt reviviscere.
207. §. 5. Si obex gratiæ fuit tantum negativus, id est, si Sacramentum ideo non causavit gratiam, quia aliquid defuit ad hoc, ut gratia causaretur, Sacramentum reviviscet, si hoc ponatur quod defuit; v.g. si adultus in solo originali constitutus susceperit Baptismum sine actu fidei,posito hoc actu fidei reviviscet Baptismus, uti habet *S. Th. q. 69. a. 10. in O.*, & est communis cum *Gorm. de Bapt. d. 1. n. 26.* Si tamen talis adultus simul haberet mortale personale ante Baptismum commissum, requireretur saltem attritio de illo, quæ posita Baptismus revivisceret, uti habet

habet S. Th. ad 2. & 3. aliique cum *Aversa* q. 68. f. 6. §. Tertiò. & q. 69. f. 4. §. Inprimis. *Castrop.* p. 10. contra *Alensem*, *Nav. Gabr. Victor. Vasq.*, illa enim sola ab initio defuerat. Quòd si etiam supervenisset mortale post Baptismum commissum, ad hunc obicem removendum opus esset contritione vel attritione cum Sacramento poenitentiae, uti tenent S. Th. ad 3. *Con. Lugo, Arr. Espayfa, Aversa* q. 69. f. 3. aliique communiter contra *Palud. Silvest. Dicafl.* à n. 199. *Gorm. n. 27.*, nam peccatum post Baptismum commissum est materia necessaria Sacramenti Poenitentiae, uti declarat *Trid. ss. 14. De Poenit. cap. 2. in fine*, ergo Baptismus non extendit se ad peccatum commissum post Baptismum.

Q. 37. An & quomodo peccet, qui Sacramentum 208.  
suscipit cum peccato veniali. R. Si suscipiat cum veniali tantum habituali, nullo modo peccat, per se loquendo: si autem cum veniali actuali, vel cum complacentia ad veniale, non peccat mortaliter, uti rectè *Suarez d. 7. f. 4.*, quia non ponit obicem effectui primario, qui est gratia sanctificans. Nec obstat, quòd impediatur intensiorem gratiam, & saltem majores gratias actuales, nam non ideo peccat mortaliter: probabiliter tamen dicit *Sporer n. 195.* peccari saltem venialiter. Vide dicenda n. 522.

Q. 38. Quid dicendum sit de illo, qui Sacramen- 209.  
tum petit sibi conferri ab indigno Ministro. R. seqq.

§. 1. Peccat, qui extra necessitatem extremam Sacramentum petit à Ministro non tolerato, quia fideles prohibentur communicare cum illo, excepto casu extremae necessitatis, si nempe aliquis esset moriturus sine Baptismo aut Poenitentia,

rentia, vel secundum *Esob. l. 8. à n. 238. Dicast. d. 3. dub. 13. Herinx d. 3. n. 110.* aliisque multos, si in horum Sacramentorum defectu esset moriturus sine Eucharistia & extrema Unctione, eò quod hæc Sacramenta per accidens causare possint primam gratiam, nec credibile sit Ecclesiam velle privare illo medio. Et quidem peti posse absolutionem in illa necessitate, satis constat ex *Trid. ss. 14. De Pœnit. cap. 7.*, ubi docet omnes Sacerdotes tum habere potestatem absolvendi. Addit *Suar. d. 72. sect. 4. sub finem*, posse à quocunque etiam non tolerato peti Viaticum, licet non defuisset absolutio Sacramentalis; ratio petitur ex *Cap. Quod in te. De pœnit. & remiss.* ubi sic habetur: *In illo verbo, per quod Pœnitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur. De extrema tamen Unctione oppositum dicit inn. Ill. ibidem.*

210. §. 2. Illi dicuntur non tolerati, qui sunt nominatim excommunicati & publicè denunciati, notorii percussores Clerici, publicè in perpetuum degradati, publicè & nominatim suspensi, publicè irregulares per sententiam, *Herinx n. 108.* Item in quibusdam diocesisibus Belgii, publici fornicarii vel concubinarij, *Platel. n. 78.* Potestque videri etiam *Suarez de censuris d. 9. s. 2.*

211. §. 3. Ex causa rationabili, & quando deest alius, licitum est suscipere aut etiam petere Sacramentum à Ministro tolerato, qui possit dignè ministrare, quamvis prævideatur indignè ministraturus, ita *Aversa q. 64. s. 1. r.*, ubi plures refert  
sent.



sententias. Ratio est, quia ministratio Sacramenti est actio de se honesta, quæ à ministro tolerato etiam posset hîc & nunc dignè poni, uti suppono, ipse autem jus habet ad tale Sacramentum, ergo impediri non debet per malitiam Ministri, nec charitas obligat, ut cum gravi suo incommodo caveat peccatum proximi, quod ipsemet, si vellet, cavere posset, unde petere poterò, 1. In gravi necessitate spirituali mea vel alterius, pro quo peto. 2. Quando urget præceptum, v.g. Confessionis, Communionis, Missæ audiendæ, uti habet communior contra *Viggers & alios*, hæc enim præcepta sunt in possessione, neque certus sum me in his circumstantiis deobligari. 3. Quando alioquin privater magnâ utilitate, uti si aliàs non possem lucrari Jubilæum. Et universaliter dicit *Dicast.* supra, quando receptio Sacramenti ab hoc homine est futura mihi utilior vel commodior, quàm si ab alio peterem, pro qua sententia citat multos. Similiter *Gob. t. 1. n. 264.* dicit me posse petere, si finè aliquo incommodo non possem habere alium; sed intelligi debet non qualiscunque utilitas, sed notabilis, nec qualiscunque commoditas, sed talis, quæ me liberet notabili incommo alioquin subeundo, hinc licet *Suarez & Arr.*, quibus favet *Escob. n. 316.*, dicant licere petere saltem à parato, vel ab eo, qui se offert, hoc ipso, quod aliàs deberem carere gratiâ Sacramenti, quæ est magnum bonum, tamen meliùs contradicunt alii, quia bonum illud est faciliè compensabile alio tempore: unde etiam præcisè lucrari Indulgentias non videtur causa sufficiens, si occasio lucrandi similes sæpe recurat. Quomodo autem liceat petere

Matrimonium cum aliquo, qui indignè suscepturus est, dixi n. 147.

212. Dixi, quando deest alius, nam probabilius est cum *Con. q. 64. n. 49. Escob. n. 313. & aliis contra Valent. Præpos. Dian. p. 5. t. 7. R. 4. & alios apud Tambur. in Decal. lib. 5. cap. 1. §. 4. à nu. 65. non licere, si in promptu sit alius, quamvis prior esset proprius Parochus, qui etiam esset de se paratus, quia charitas, saltem in Deum, suadet, ut peccatum proximi, si facile possim, impediam, ne saltem consummetur, aut continuetur, aut fiat majus, unde merito concludunt *Aversa & Escob. n. 316.* prudenti judicio discernendum esse pro varietate rerum & circumstantiarum, quanta & qualis necessitas sufficiat, variz enim sunt conditiones suscipientium, ministrantium, & ipsorummet Sacramentorum, & de his regulis discernendi, quando nam licitum sit cooperari peccato proximi, videri possunt dicta lib. 2. à n. 255.*

213. *Obji. 1.* Si proximus esset casurus in morbum gravem, nisi omitterem Missam die festo, ex charitate tenerer omittere, ergo multò magis, si est peccaturus. *R. n. conseq.*, nam 1. vitatio morbi non esset libera proximo, sed mihi soli, ideoque merito mihi imputaretur morbus & non ipsi; è contrà vitatio peccati maneret ipsi libera, ergo si committeret, non imputaretur mihi, sed ipsi. 2. Proximus non posset aliter vitare morbum, ergo charitas suaderet, ut ego ipsi succurrerem; è contrà ipse posset aliter vitare peccatum, nempe disponendo se ad dignam administrationem, ergo si non faceret, ipsi tribueretur.

*Obji. 2.*

*Obji. 2.* Si scirem Medicum sanaturum me 214.  
per artem magicam, quamvis me posset sanare  
per artem medicam, peccarem petens sanari ab  
illo, ergo etiam pecco petens Sacramentum, &  
sciens Ministrum peccaturum, quamvis mini-  
strando posset non peccare. R. n. conseq., pec-  
co in primo casu, non quia Medicus peccabit,  
sed quia ego simul communico cum dæmone, à  
quo admitto beneficium, dicor enim usurpare  
medicamenta, quæ prævideo applicanda tan-  
quam instrumenta mez sanitatis recuperandæ,  
est autem illicitum admittere beneficium à dæ-  
mone, aut habere ullum cum eo commercium  
ut dictum est lib. 3. p. 1. à n. 27. Simile nihil est,  
si aliquis mihi indignè ministret Sacramentum.

§. 4. Quamvis licitum sit petere Sacramen- 215.  
tum à Ministro excommunicato vel suspensio to-  
lerato, ipse tamen non potest se ingerere, sed  
tantum poterit conferre, si requiratur, ut ex Ex-  
tra. Vagante, *Ad evitanda scandala*, colligunt He-  
rinx à n. 104. & Bose d. 1. f. 8. n. 89. An autem sit  
obligatio petendi Viaticum à Sacerdote hæreti-  
co &c. dicitur n. 620.

§. 5. Non est obligatio inquirendi in probi- 216.  
tatem vel mores Ministri, sed censeri debet bo-  
nus, quamdiu non probatur esse malus, *Aversa*  
suprà, *Dicasl.* n. 301. & alii communiter; qui  
ideo inferunt cum *Suar. Reginald Sporer* n. 180.  
quamvis scires Ministrum non Parochum, & et-  
iam se non offendentem, pauld antè mortaliter  
peccasse, te tamen posse ab eo petere Sacramen-  
tum, quia petes presumere, quòd sit se disposi-  
turus saltem per contritionem. Limitent *Herinx*  
n. 98. & *Bose* n. 60. nisi constaret ipsum esse con-  
tue.

suetudinarium, aut semper esse in occasione proxima peccandi, tum enim prudenter præsumi posset status malus. Addit etiam Gobat t. 1. n. 265, si facile possit habere alium, ut non requiras talem: similiter si quis sciretur paulò antè peccasse, nec fuisset tempus pœnitendi, non esset licitum ab eo petere Sacramentum jam statim administrandum, uti nec facile peti debet Missa, quando Confessionem præmittere non potest, quæ ex præcepto Ecclesiæ præmitti debet ante Communionem: petere enim in circumstantiis, in quibus moraliter non potest se disponere ad dignè ministrandum, est inducere ac formaliter cooperari ad peccatum, quod nunquam licet. Putat tamen Bosco n. 95., per se loquendo, licitum fore admittere Sacramentum à tali homine ad evadendam mortem, quia tum censeret ejus peccatum permittere.

217. Q. 32. An peccet, qui in susceptione Sacramenti, sequitur sententiam tantum probabilem. R. Hoc resolutum esse supra à n. 105.

## C A P U T IV.

*Quid sint Sacramentalia, & quid efficiant.*

218. **R** Esp. I. Cæremoniæ ecclesiasticæ, quæ vulgò dicuntur sacramentalia, sunt actus externi religionis ad colendum Deum accommodati. Tales autem communiter vocantur, oratio Dominica, aqua benedicta, esus eulogiarum olim in usu, confessio generalis, elemosyna, benedictio ab Episcopo vel Abbate consecrato data, quæ